DISCURSUS JURIS PUBLICI
QUINTUS
De
PRINCIPIBUS S. ROMANO-GERMANICI IMPERII POLITICIS.

Quem
D. T. O. M. A.
Permissu Amplissimæ Facultatis Juridicæ in illustri Salana

PRÆSIDE
CHRISTOPHORO BEINDORFFIO, WANTZLEBIENSI Magdeburgico.

Dominis suis Collegis examinandum proponit

NICOLAUS FÖHR Halâ-Saxo.

Ad diem Augusti. horis locoq; consuetis.

JENÆ
Typis TOBIÆ STEINMANNI.
ANNO MDC XIX

THESIS I.

EGimus ſuperiori diſcurſu de Archiepiſcopis & Epiſcopis, qui *ſecundum Ottonem indiſſert. de jure pub. c. 18. p. 601. 605.* ſecundam & tertiam ſtatuum imperii conſtituunt claſſem: conſequens igitur eſt, ut præmiſsâ verborum explicatione ad Politicos imperii Romano-Germanici Principes, qui in quartâ claſſe collocantur *ab eodem Ottone pag. 618.* noſtram dirigamus indagationem.

2. Dictus eſt Princeps ex eo, quòd ſit rerum primus, *Tacit. lib. 1. annal.* quòd benè præeſſe debeat, *Matth. Steph. 2. de jurisd. p. 1. m. 1. n. 17.* Unde Græci ἄρχοντα, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, vel παρὰ τὸ ἄρχειν, id eſt, τυραννεῖν καὶ δεσπόζειν. Latinis à principio, quod primus omnium dominetur, & quòd præſit aliis regendis, vel principatum teneat, hinc Germanicum Fürſt/ quaſi Fürſteher. *Paurmeiſt. 2. de jurisd. c. 9. n. 6. Hænon. diſp. pol. 3. th. 49.* Juxtà veram nominis Etymologiam ſignificat aliquam præeminentiam, quaſi primas partes capiens, *Cluten. ſyllog. th. 9. lit. A.*

3. Cum autem Principis nomine, de quo hîc nobis res eſt, tanquam membro imperii Romano Germanici etjam Duces, Comites Palatini, Marchiones, Landgravii, Burggravii, *Pruckman. ad rubr. de Regal. c. 1. n. 13.* ſed in largiſſimâ ſignificatione *Pruckman. d. l. c. 2. n. 3.* veniant: brevibus hic ordine notationem eorum nominum percurremus. Quæ non ut olim adminiſtrationis, in vim publici muneris precariò poſſeſſa, *Joach. Stephan. 1. de jurisd. c. 3. n. 37.* & dignitatis temporariæ, ſed perpetuæ & ad heredes tranſitoriæ, & patrimonii ſunt nomina *Præſtantiſſ. Dn. M. Rem-*

hardus König disp. polit. 8. thes. 58 Schönborn. 5. polit. 38. Non enim opes & dignitates tùm officiis annexæ fuerunt; Postea verò ab Imperatore hereditariè & perpetuò de Ducatibus, Marchionatibus &c. cum universali territorii jure, omnibusq; pertinentiis mit aller Fürstlichen Obrigkeit vnd Hoheit investiti sunt, *Ampliß. Dn. D. Arnold. Engelbrecht de jurisd. imperii th. 123.*

4. Sed si quis de Ducatu, Marchionatu &c. est investitus, non statim eo ipso est Dux Marchio &c. nisi loci consuetudo hoc patiatur. Notum enim est quibusdam in locis, ut si quis in illo sit Dux, in alio sit privatus: prout etiam observatur in nobilibus. Requiritur ergò specialis solemnitas, ut ab Imperatore, cui jus hoc competit, Dux creetur, *Matth. Steph. 2. de jurisd. p. 1. c. 6. n. 32.* quod tamen in dubio voluntatem conferendæ dignitatis Imperatorem habuisse præsumitur, *c. 1. quis dicatur Dux 2. Feud. Gail. de Arrestis. c. 6. num. 9.*

5. Aliter se habet in Prælatis, qui titulum Principis Ecclesiastici ratione dominiorum temporalium, quæ ab Imperatore habent, nanciscuntur, & perinde ac Principes Seculares Imp. subjiciuntur *Gail. 1. obs. 30. n. 4.* Nam idem homo diversis respectibus, diverso jure ac diversis qualitatibus censeri, & sic duplicem personam repræsentare potest. *Nic. Everh loc. de tanquam sive respect. Tiraquell. de nobilit. c. 28. n. 15.* Illa autem dignitas inhæret Episcopatibus ex unanimi consensu & approbatione Cæsareâ, non ex naturâ ipsius Episcopatus *M. Steph. d. l. n. 44.* Et sic intelligerem *c. un. quis dicatur Dux, per ea quæ tradita à Gail. d. l. n. 6.*

6. Ducis appellatio est à ducendo, vel quod ducat & regat exercitum *Hænon. d. l.* cum quâ convenit Germanicum Hertzog ab Heer/ id est, exercitu & ziehen/ id est ducere, *Vult. 1. de Feud. c. 4. n. 14.* sive quasi Herr des Zuges/ id est, dominus exercitus: vel quod ipse alios ad virtutem ducat. *Schönb. 5. polit. 38.*

7. Putāt quidam originem ejus ab exercitus Romani Ducibus emanasse. Postquam enim Publius Romanus devicerat

vicerat Hasdrubalem ab Iberis Romanis se submittentibus, nullâ aliâ quàm Ducis appellatione salutari voluit.

8. Olim autem Ducis appellatio in limitaneis Præfectis, quorum Præfecturæ Ducatus nominabantur, in usu fuit. *P. Heig. p. 1. q. 2. n. 33.* At Caroli M. ætate Duces propriè dicebantur, qui duodecim Comitatus sub se habebant. Et *Nic. Bellus rer. polit. tom. 4. disc. 13. refert*, quod Dux debeat possidere quatuor Comitatus Principales, & in quolibet horum alios quatuor Comitatus sive Baronias illis quatuor Comitatibus fide & clientela obstrictos. Sed hoc in desuetudinem abiit *Heig. d. l. n. 38.* nam hodie Duces appellantur, qui à summo Magistratu nomine Ducis, Ducatu sunt donati & investiti, certis conditionibus & legibus. *Althus. polit. cap. 18. num. 116.*

9. Quamvis Ducis nomine plures utantur aliquibus in locis, tamen præter nudum nomen & titulum parum vel nihil habent: Uti apparet in Ducibus Venetorum & Genuensium, qui quidem titulo insigniuntur; attamen in illis nullum dominium, sed tantùm præeminentia quædam in consiliô à populo exquirendô prælucet. Sic in Anglia Ducatus & Comitatus tituli sine locorum possessione dati sunt, *ita tamen ut quotannis ex vectigalibus Regiis certa summa pecuniæ ipsis constituatur. Cluten. d. l. th. 26. lit. B.*

10. Reperiuntur etiam Magni-Duces, extra tamen Germanicum imperium. Inter Duces autem, prout nos hîc accipimus, summum locum tenent Archiduces Austriæ, dicti quasi primi Duces, qui ex privilegio de suis ditionibus sibi concesso primas post Electores habent, & proximam à dextra eorum sessionem occupant. *Sixtin. 1. de Regal. cap. 4. n. 30.* Et partim Electoribus pares, partim illos antecellunt, quòd nova vectigalia propriâ autoritate instituere, Comites, Barones & Nobiles creare, & iisdem insignia attribuere, eosdemq; illis dignitatibus, si abutantur privare. *Sixtin. d. l. n. 35.* famæ restituere, spurios legitimare possint. *Cluten. d. l. thes. 35.*

11. Sed Archiducis titulum non primùm Austriæ Duces habuêre: Nam Bruno, Imp. Ottonis M. frater, primò illum

 assumsit:

assumsit: Postea Carinthianorum Principes ita appellari voluerunt; quibus extinctis, ad Duces Austriæ simul cum ditione pervenit, qui titulo eodem hodiè insigniuntur. *Calvin. in Lex. jurid. sub verb. Dux.* præter hos nulli: quanquam de illo adipiscendo quidam fuerint soliciti, tamen hoc apud Imp. non obtinuerunt. *Sixtin. d. l. n. 31.*

12. Inter cæteros Duces qua tales nulla est differentia, sed duntaxat ordo in sessionibus *Vultej. d. l.* inde dependet, quòd alii sint Duces Imperii, quorum quatuor vigore sanctionis Ottonianæ, qua singulæ classes S. R. I. in quatuor membra distinctæ sunt *Schönborn. d. l.* numerantur: Brunsuicensis, Bavariæ, Sueviæ, & Lotharingiæ. Alii Duces simpliciter qui suo jure ordineque censentur. *Dn. König d. loc. thes. 61.*

13. Hos sequuntur Comites-Palatini, nobis Pfaltzgraffen/ olim Palatii Cæsaris judices sive Præfecti erant, Richter des Keyserlichen oder Königlichen Pallasts oder Hoffs. *Dn. Reinh. König d. l. th. 67* Pfaltz enim sive ex vetusto dialecto Pfallentz/ idem quod palatium seu Curia Regalis sonat *Besold. d. s. de Comit. & Baron. Imp. R. G. n. 8.* & dicuntur ædes Imperatori consecratæ, *l. un. C. de palatiis.* aula Cæsaris *l. 3. C. de privil. cor. qui.* In jure Saxonico idem nomen *Pfaltz* sive palatium pro domo seu curiâ regali usurpatum fuit, *Spec. Saxon. lib. 3. art. 62.* fünff Städte seynd die Pfaltzen geheissen/ die ligen in dem Land zu Sachsen / da der König seinen Echtehoff haben soll/ꝛc. Hodiè magna præeminentia & dignitate præ cæteris fulgent, ut qui ad Rhenum sunt, Electorali etiam dignitate sint decorati, & primas inter Seculares EE. PP. teneant. *Cluten. d. l. th 26. lit. D.*

14. Præter hos & alii inveniuntur Comites-Palatini, qui potestatem à Cæsare plenariam nacti sunt, creandi Notarios publicos, tabelliones & judices ordinarios, legitimò tamen thoro qui sint nati. R. A. zu Franckfurt Anno 1442. §. Von dem heimlichen Gericht. Poetis lauream conferendi. Nobilitandi verò, ut & natalibus restituendi jus ipsis non competit, nisi specialiter in diplomate concessum, *Autor. disp. de jure Principatus. concl. 85. lit. F.* illi tamen abusivè & impro-

priè

prie Comites-Palatini nominantur, *Sixt.n. d. l. n. 108.* respe-ctu horum Principum imperii, qui Comites Palatini dicuntur: carent enim Comitatu, qui Regalis dignitas est. *Cluten. d.l.* & honoris tantùm habent titulum.

15. Nunc ad Marchiones, quos olim ex Comitum genere fuisse, sed his jam superiores esse *scribit Heig. d.l. n. 55.* & limitanei dicebantur, qui tuendis imperii Romani finibus erant præfecti, *König d. l. th: 68.* à Carolo M. devictis Sorabis in Pannonia superiori, quæ erat limes regni sui, versus Orientem contra Hunnos & Avaros constituti, *Peucer. lib. 4. Chron. in pr. pag. mihi 449* Ab Henrico Aucupe repulsis trans Albim Henetis primùm Misnæ, Brandeburgi & Slesvici instituti *Dav. Chytræ. in Saxonia. lib. 3. pag. 73.* Germanis Marckrichter oder Grentzfürsten, qui provinciam ipsis demandatam ab incursionibus hostium tuebantur, prout olim ripparienses vel præsidiarii fuêre milites. *Besold. d. l. n. 10.* sed limitis seu Marchiæ nomen, postea à Friderico I. Imp. in Ducatum fuit mutatum, & Marchio nobis is est, qui de Marchionatu est investitus, hoc est, de feudo, cum Regali dignitate *c. 1. quis dicatur Dux. 2. Feud. Nicolao Bello d. loc.* Marchiones sive Marggraffen hi sunt, qui duas aut tres Baronias in uno Ducatu conclusas possident. Et quod creari poßint à suo Duce, in cujus ditione eas possident. Hoc falsum esse putamus, quia de reservatis solius Imperatoris est creare illos: tum quod Duces & Marchiones hodiè pari passu quoad honores ambulêt, & tantùm in sessione illis prærogativa relinquatur. Habentur autem Marchionum imperii quatuor: *Misnensis, Brandeburgensis, Monviæ & Badensis.*

16. Appellationem quod attinet, inter autores magna est varietas Quidam à *Mar: & archia*, quòd juxta mare sit sita, *& sic opinatur Feudista. c. 1. quis dicatur Dux.* Alii *à Marcomiro* Francorum Duce: Alii à Celtico vocabulo *marcha*, id est, equa & *marchare*, id est, equitare, ut Marchio sit tanquam equitum Præfectus & Magister. Alii putant esse nomen Græcum & corruptum, *nomarchiam* enim Græcis dici provinciam, inde primâ syllabâ demtâ, natum esse verbum Marchia, illo tempore, quo exarchatus in Italia cœperit

rit esse. *Schönborn. 5. polit. 39.* Nos à *marcha seu limite*, qui vernaculâ lignâ significat Marck / Gemarckung / Marckstein / Marckscheiden, quo etiam pertinet ius limitum Marckrecht: inde Marchio Marggraffe / Dux limitaneus, *Heig. d. l. n. 57. Althus. d. l. n. 117.* Et licet hodiè non sint limitum defensores, nomen tamen ipsis ex consuetudine mansit integrum, *Dn. König d. l. th. 73.*

17. De Landgraviis, quasi Comitibus provinciarum sciendum, quod olim fuerint judices (mediterranei scilicet ad differentiam Marchionum) & præsides totius alicujus provinciæ. *Vultej d. l.* Die da Richter gewest seyn eines gantzen Landes / so zwischen des Reichs Lande ligt / *Borcholt. de feud. c. 5. num. 33.* hodiè Comitibus superiores, & in Principum serie collocantur, nec minor Landgraviatus dignitas, quàm Ducatus. *Sixtin. 1. de regal. c. 5. n. 119.* Et Principes imperii illos dici Fürsten des Reichs / notissimum est. Illorum quatuor familiæ in imperio habentur. *Thuringiæ, Hassiæ, Alsatiæ & Leuchtenbergensis.*

18 Restat de Burggraviis pauca proferre, qui perpetuò Castellani præfecti sive judices erant, certi alicujus præsidii sive arcis einer Festung des Reichs / *Besold. d. l. n. 11.* quam Guardiam sive Castaldiam vocant *Dn. König. d. l. thes. 77.* Olim magna eorum fuit dignitas, adeò ut in civilibus, Marchionibus jus dicere potuerint. *Spec. Saxon. lib. 3. art. 52. & gloss. ibi.* in criminalibus non judicabant, quia super illustrium vitam & eorum sanitatem nemo judex existit, nisi Imperator *Specul. Saxon. d. l. art. 55.* Imperii Romano-Germanici quatuor recensentur: *Magdeburgensis, Noribergensis, Reineccensis & Momburgensis.*

19. Et hæc dixisse sufficiant de notatione; jam significata perlustrabimus. Et quidem in generali significatione & nativâ, Princeps denotat id, quod primum & præcipuum est, & adjectivi propemodum significatum habet. *Horatius. Principibus placuisse viris, &c. Cicero pro domo sua.* Civitatis longè Princeps Pompejus. Consilii publici Princeps plurimos annos fuit Pericles, die fürnembste Person.

20. Aliàs

20. Aliàs vocabulum *Principis* usurpamus, vel in sensu proprio vel improprio. *Dn. Reinhard. König d. l. th. 54.* in sensu proprio & κατ' ἐξοχὴν solus Imperator dicitur Princeps. *l. princ. ff. de legib. l. 1. ff. de const. Princ.* sic in libris Feudorum, *c. 1. de natura Feud. c. quis dicatur Dux.* sive primas capiens, ut qui imperium à nullo alio quàm Deo immediatè tenet *Matth. Stephan. 2. de jurisd. c. 1. n. 43.* Impropriè & Metaphoricè, præter Deum non tantùm omnium rerum ἄρχοντες, Reges optimates & quidem populum ipsum: Verùm etiam inferiores quoq; Principes, Duces, Marchiones, Landgravios & Comites complectitur. *Paurm. d. l. n. 1.* largâ significatione etiam Barones.

21. Secundum *Paurmeisterum d. l. n. 2.* in negotiis imperii variè accipitur vocabulum Principis. Et I. generaliori conceptu pro omnibus tàm superioribus quàm mediis & infimis Imperii Romani optimatibus. II. Pro Principib. propriè sic dictis, exclusis aliis imperii Proceribus. III. Pro Principibus tantum politicis vel secularibus, speciali titulo, vel Ducis, Comitis Palatini, Marchionis, Landgravii, Burggravii, decoratis, vel Principis simpliciter ad talem dignitatem evectis: in qua significatione hic quoq; nos usurpamus, pro imperii scilicet Proceribus, Cæsare & Electoribus inferioribus: Prælatis autem Comitibus & Baronibus, qui sint superiores & digniores. Et eô casu dicitur Princeps quasi ab alio pendens cum additione, ut Principes imperii, qui scilicet habent Comitatus vel Ducatus ab Imperio vel Imperatore. *M. Stephan. d. l. n. 38.* Et propterea rectè dicitur, omnis Elector Dux vel Marchio est Princeps, sed non è contra, sicuti omnis homo est animal, sed non omne animal est homo.

22. Quibusdam in specie attribuitur nomen Principis, qui neque sunt Duces &c. ut sunt in Imperio Principes Anhaldini, Fürsten zu Anhald. Quidam à certa regione & provincia Principes inscribuntur, ut sunt Archiduces Austriæ Fürsten zu Schwaben / Marchiones Brandeburgenses Fürsten zu Rügen.

23. Veniunt etiam Principum nomine Prælati, Abbates & Comites ad Principalem dignitatem evecti, Prælaturæ & Comitatus titulum retinentes, quos Fürstmeßige, hoc est, Principibus pares, vel qui Principum dignitate censentur, *Ord. Cam. part. 2. tit. 23. & tit 5. §. 1 in fine.* Sic Abbatissæ erunt recensendæ, Principum titulum gerentes, ut sunt Quedlinburgensis, Gernrodensis, Buchaviensis, Andlaviensis. At jus suffragiorum & privilegiorum primæ instantiæ & sessuræ inter Principes haut obtinent, sed in Prælatorum Ordine relinquuntur. *Paurm. d. l. n. 7.*

24. Apud nationes quasdam accipitur pro primogenitis Regum. *Lancell. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 3.* ut in Hispaniâ. *M. Steph. 2. de jurisd. p. 1. c. 2. n. 36.* Poloniâ & Succiâ. In Italia non usurpatur, nisi in primogenito Ducis, qui vivente Patre Princeps dicitur. Et in Galliâ nomen Principis in actis publicis, non nisi regiæ prosapiæ Principibus attribuitur. *Thuan. 25. Histor.*

25. Visâ hactenus definitione Principum nominali, meritó ad realem nos convertimus. Est itaq; Princeps status Imperii Electoribus inferior, Comitibus autem superior, immediatè Imperatori subjectus, habens jus suffragiorum primæ instantiæ & sessuræ in imperii Comitiis. Elaborationem hujus videbimus in seqq. Ergò non necesse est his plura addere. Progredimur nunc ad divisionem.

26. Ratione Ordinis & functionum quas sustinent Principes, dividuntur in Ecclesiasticos & Politicos, sive ut vulgò loquuntur spirituales, quibus principaliter spiritus & anima curæ esse debent, & seculares. *Paurmeister. d. l. num. 8.*

27. Ecclesiasticos hic considero, ut Principes politicos, qui in hoc casu nihil commune habent cum Pontifice, cui nihil omninò juris in Reges & Principes est, cum & ipsi hoc quod sint beneficio & privilegio Imperatorum habeant, *Amplis. Dn. Arnold. Engelbrecht. de jurisd. imperii thes. 90.* Possident enim Feuda Regalia, ut reliqui Principes ac Proceres politici sive seculares, *Autor disp. de jure Princ. concl. 85.*

lit-

lit. B. & eădem habent ſuperioritatis jura, quæ Duces & alii in ſuis territoriis. *Gail. 1. obſ. 30. n. 1.*

28. Seculares autem Principes, plus juris habent in ſuis territoriis, plenioriique adminiſtratione fruuntur, quàm Eccleſiaſtici, ut qui ſuos Ducatus, Marchionatus, &c. ad primogenitos deferunt. *M. Stephan. 2. de jurisd. part. 1. c. 4. n. 70.* quia diviſionem non recipiunt. Dignitates enim non debent minui, ſed augeri, *l. 19. ff. de offic. præſ.* & diminutis divitiis, diminuitur etiam honor. *Schneid. ad §. 20. Inſt. de action. n. 37.* Quod tamen in Germania in deſuetudinem abiit: nam hujuſmodi feuda majora & Regalia, puta Ducatus &c. excepta Regali dignitate inter filios coheredes, non ſolùm ratione jurisdictionis & adminiſtrationis, ſed etiam ratione bonorum & dominii utilis dividuntur. *Gail. 2. obſ. 153. n. 2.*

29. Dixi ratione jurisdictionis dividi. Sciendum autem, quod jurisdictio in ſua ſubſtantia ſit indiviſibilis. Eſt enim quoddam incorporale. At incorporalia non veniunt dividenda. *Schneidw. d. l. n. 30.* In re verò diviſionem minimè admittente, heredes ſinguli in ſolidum tenentur. Verùm diviſio illa eſt intelligenda 1. quoad uſum & exercitium *M. Steph. d. l. n. 71.* 2. quoad commoditatem, ſi huic vel alteri locetur, & poſtmodò penſio exinde veniens dividatur. 3. per territorii & regionum partes. *Schneidw. d. l.* hujus diviſionis exempla, vide apud *Paurmeiſt. lib. 1. de jurisd. c. 31. n. 13. Ampliſſ. Dn. Arumæus diſc. 6. ad A. Bull. Car. IV. th. 23.* 4. per adjudicationem uni coheredum. *Schneid. d. l.* Ideoq; Principes, qui hoc modo diviſerunt, non ſolùm de illis partibus & ditionibus, quas ſinguli adminiſtrant, ſe nominant, & titulos uſurpant, ſed de omnibus, ac ſi nulla diviſio accidiſſet; ita ut ipſum corpus regalis dignitatis haut ſcindi videatur.

30. Quidam Ducatus diviſionem nequaquam admittunt, ne quidem, quoad adminiſtrationem & emolumentorum perceptionem, uti ſunt Electoratus. *Aur. Bull. Caroli IV. cap. 25. Ampliſſ. Dn. D. Arumæus Præceptor honorandus d. l.*

31. Et qui administratione destituuntur, & territorium non habent, illis competit quidem jus Principis personale, sed jus reale sive territoriale non itē, & dicuntur DOMICELLI. *Matth. Stephan. 2. de jurisd. part. 1. c. 7. n. 20.* In jure Saxonico dicuntur *schlechte Fürsten, Landr. lib. 3. art. 58.* Si autem uni pars Ducatus, alteri Comitatus Ducatui unitus assignetur, omnes nihilominus hoc modo dividentes, sunt & dicuntur Duces Marchiones &c. Principesq; universi Principatus: quia ipsa Regalis dignitas & feudi substantia manet indivisa. Inde omnes ad Comitiorum & Circulorum conventus tanquam Principes imperii vocantur, sessionemque ac votum habent. *Bertram de Comitiis imperii. concl. 41.*

32. Commentator juris Saxonici Principes in genere distinguit in Reichsfürsten & Schlechtefürsten/ *Landr. d. l.* illorum tribus sequentibus prærogativis præ his eminent. I. quod feuda ligia habeant, solum Imperatorem vel Regem Romanorum dominum agnoscentes, *Landr. d. l.* II. quod per vexillum vel sceptra feudum accipiant, & vulgò dicitur Fahnenlehen, quod nobilitat & confert dignitatem. Ecclesiasticis enim confert Imperator feuda per Sceptra, quæ dicuntur Scepterlehen. Regna autem Ducatus vel Comitatus per vexilla. *Landr. d. l. art. 60.* III. Ut possideant provincias Principatus titulo insignitas. *gloss. art. 2. Landrecht. lib. 3. in verb.* Das Reichsfürsten. *Paur. d. l. n. 9.* Schlechtefürsten hisce carent.

33. Seculares iterum in certos distribuuntur Ordines: quorum certæ sunt familiæ, ex quibus itidem certi Comitiis intersunt & numerantur 18. Quarum 1. Archiducum Austriæ (cum bellum inter Rudolphum I. & Othogarum Wenceslai Regis Bohemiæ filium exticisset, & hic occubuisset, ille decreto imperii in Comitiis Noribergensibus Austriam tanquam jure belli captam filio Alberto Anno 1282. concessit: Unde Archiducum Austriæ origo *Dresser. Isag. hist. part. 4. in descript. Austria*) duæ lineæ, una quæ à Ferdinando, quæ propriè Austriaca, altera à Carolo V. originem traxit, & Burgundica vocatur. Unde fit, quòd hodiè Rex Hispaniæ, ratione Burgundiæ sit status imperii & ad Comitia vocetur,

& ideò in Comitiis, non ut Rex supremum locum occupat, sed ut Dux Burgundiae suo loco sedet, inter Principes imperii *Gail. de arrest. imperii. c. 6. n. 15.* 2. Ducum Bavariae, cœpit Anno 1180. cum Comes Otto Wittelsbachius, cognominatus à Wittelsbach, quae sedes Landgraviorum & Palatinorum fuit, Henrico laesae Majestatis condemnato. *Ant. Coler. de jure imp. sect. 60.* à Friderico Barbarossâ Bavariam (cum Palatinatu ad Rhenum *Schönb. 5. polit. 15.* Anno C. 1215. Ludovicus Bavarus in Comitiis Ratisbon.) accepisset. *Matth. Dresser. d. l. in descr. Bavariae.* in duas itidem lineas distincta, quarum una communi nomine Bavaria, altera Palatina, Pfaltz Bayern appellatur, quae iterum diversarum linearum. III. Ducum Saxoniae, Marchionum Misniae, Landgraviorum Thuringiae, quorum lineę sunt hodiè, Electoralis (extinctâ familiâ Ursorum in Alberto, Imp. Sigismundus Electoratum Saxoniae imperio apertum Friderico I. Marchioni Misniae in feudum concessit, unde modernorum Electorum prosapia descendit. *Schönborn. 5. polit. 14.*) Coburgica, Isenacensis, Aldenburgica & Vinariensis. IV. Marchionum Brandenburgensium, constat Electorali, Anspacensi & Culmbacensi. V. Ducum Brunsuicensium & Luneburgensium, quarum haec alia Cellensis, alia Dannenbergica, alia Harburgica. VI. Ducum Juliacensium, Clivensium & Bergensium. VII. Ducum Pomeraniae, qui ob praestitam fidelem contra Danos operam, cum se convertissent à Polonis ad Romanum imperium, in ordinem Ducum imperii adsciti sunt. *Schönb. 5. pol. 15.* quibus Ducatus quoq; Sedinorum, Cassubiorum & Vinidorum sunt uniti. VIII. Ducum Megapolitanorum, quorum A. C. 1348. Albertus Megapolensis Dux, Princeps imperii Rom. à Car. IV. solenni ritu inauguratus est. *Dresser. d. l. de Ducib. Megapol.* IX. Ducum Wirtenbergensium, quorum Everardus cognomento Barbatus à Friderico Imp. A. C. 1495. solenni ritu primus Dux Wirtenbergensis & Teccensis inauguratus est. *Dresser. d. l. de Ducibus Wirttenb.* X. Landgraviorum Hassiae, scil. Cassellana & Darmstadiana. XI. Marchionum Badensium. XII. Ducum inferioris Saxoniae sive Lavenburgensium. XIII. Du-

cum Holsatiæ, quæ est Regia Gottorpica & Sundorborgica. XIV. Landgraviorum Lichtenbergensium. XV. Ducum Sabaudiæ Hertzogen zu Saphoy/ qui ex Ordine Comitum à Sigismundo Imperatore in sublimiorem Ducum imperii sedem collocati sunt. XV . Principum Anhaldinorum. XVII. Ducum Lotharingiæ. XVIII. Comitum Arnbergensium, qui à Maximiliano II. Imp. inter Imperii Principes suscepti sunt. Quibus accedunt Radzivilii Lithuani Principes, qui etiam in numerum Principum Rom. Imp. cooptati sunt. *Schönb. 5. polit 5.*

34. Non extra oleas vagabimur, si hîc illorum sessionem & præcedentiam in Comitiis aliqualiter tractabimus: cùm singulis ferè Comitiis, novarum disputationum & litium clamoribus atria & subsellia de prærogativâ personent: tùm quod scitu sit dignissima. Sciendum quod sint; aut ejusdem familiæ, aut diversarum: si ejusdem sint familiæ; aut sunt majores ætate, aut regimine. Si diversarum, aut dignitate sunt pares, vel non.

35. Si sunt ejusdem familiæ, genere, statu & nativitate pares, tunc stat regula: quod prærogativa & præcedentia in sessione attribuenda sit seniori. *Matth. Wacker sup. controvers. de jure præcedentiæ Ducum Saxon. pag. 15.* nullo habito respectu juris primigenii. *Aut. tract. de Majoratu sup. d. controvers. lib. 1. c. 16. n. 2.* Intelligendum autem hoc de Principibus, qui sint ejusdem familiæ, sed diversarum linearum, nempè duorum fratrum liberis; tunc non à Senioris fratris filiis prærogativa facienda, sed à Seniore, qui tum temporis existit. Nihil omninò derogat alterius potentia major, quippe quod non respicit dignitatem, nec illam auget, sed est qualitas à dignitate separata & minimè tollere potest prærogativam temporis. *Bod. de Republ. l. 1. c. 10.*

36. Nec officit, quòd quis senio præferri debeat, si sit majoris dignitatis, *juxta l. 1. ff. de albo scribendo.* ut si quis se habere expectantiam Anwarttung sive Anwartschafft/ in hoc vel illo potentiori regno seu Electoratu prætendat. Nam potentia illa, nisi ad actum realem deducta sit, nullam prærogativam habenti pariet. *Matth. Wacker d. l. pag. 34.* Effectus

ctus enim non poteſt eſſe ante cauſam, nec eam præcedere, cum cauſæ arguant & indicent effectum, ipſæq; viciſſim ab eo arguantur. *Gudd. ad l. 21. n. 9. de V. S.* Exemplum habemus in Electore Colonienſi, qui ob Electoriam dignitatem cæteros omnes tàm Principes quàm Epiſcopos antecedit, tamen ut Epiſcopus Leodienſis multis cedit.

37. Exiſtunt etiam Majores regimine, aliàs dignitate æquales, diverſis autem familiis, cujus poteſtatis intuitu Pater ſolet cedere filio. *Gell. lib. 2. noct. Attic.* & jubenti obtemperare. *l. 13. §. ult. l. 14. ff. ad SC. Trebell.* hoc intuitu filius eſt major patre. *Aut. d. tract. d. l. n. 9.*

38. Inter Principes autem pari paſſu, hoc eſt, dignitate ambulantes, ordo temporis eſt habendus, *l. 2. C. ut dign. ordo obſ.* cum quòd dignior is haberi debeat, qui antiquior eſt tempore, & potior ſit in privilegiis & dignitatum honoribus. *l. 7. C. de poſtul. l. 1. & 2. C. de off. præf. præt.* Hoc a intellectum volumus de ſecularibus duntaxat Principibus: In Eccleſiaſticis aliter obſervatur, cum hi ita locentur, uti ſunt aggreſſi munus, & ex contemplatione adminiſtrationis diuturnioris. *Mynſ. 4. obſ. 37. n. 2.*

39. Alii alios dignitatis præeminentia ſuperant, ſeſſionisq; ordine priorem locum occupant; non propter antiquitatem generis vel familiæ, nec propter potentiæ ac divitiarum multitudinem, nec propter dignitatum titulorum & inſignium concurſus, ſed ex veteri obſervantia. *Bertram. d. l. lib. 67.*

40. Quales autem perſonę ad Comitia admittantur, facilè hinc patet: Sed diſceptatur variè; *An natus ex Principe & plebeia ad Comitia vocari, ac jure dicendæ ſententiæ frui debeat?* Affirm. Tum quia liberi patris conditionem quoad honores ſequuntur. *l. 19. ff. de ſtatu hom. l. 1. ff. ad municip.* Tum quia mulieres radiis maritorum illuſtrantur, *l. 13. C. de dignit.* Suadendum tamen Principibus viris, ut ab ejuſmodi matrimoniis abſtineant: ne ſubditos, qui de magnitudine, probitate & victoriis Principum mirificè lætantur; econtrà verò de eorum autoritatis diminutione (licet non de jure, tamen

tamen de facto) eo in casu vehementer turbantur, perturbent & mœrore afficiant.

41. Qualis autem ferendi suffragii inter ipsos Principes observetur ratio, videmus, quòd viritim sententias dicant. Ratione autem temporis, aliquando ex Comitiorum permixtione ex iis constituitur delectus, qui rebus diligentissimè ponderatis vota sua consignant, cæterisq; præsentibus Principibus perpendenda exhibent. *Bertram d. l. thes. 70.*

42. Non autem præcisè necessum est, ut semetipsos in Comitiis sistant, cùm gravissima negotia etiam per alios, Legatos scilicet possint expediri. Quamvis aliàs Legati & nuncii, ex eorum persona, quorum vices gerunt, æstimantur, *l. 1. C. de off. vicar.* Constitutum tamen est contrarium *à Carolo IV. in Aur. Bull. c. 24* §. Wenn aber ein Churfürst. quodque postmodò inter cæteros Principes Electoribus inferiores sit æquè observatum. vide *Bertram. d. l. th. 67. Ant. Coler. de jure imperii R. G. sect. 68.*

43. Quæritur: *An Principe durantibus Comitiis vitâ excedente, successor ante petitam & impetratam investituram possit acta ratificare, Legatisq; ut suo nomine jus suffragiorum continuent, mandare?* Affirm. *per l. 12. & 13. ff. de legib.* quod nempè in uno introductum est, bonâ occasione ad conseq. sit extendendum. In primogenitis autem Electorum jus eligendi, investiturâ nondum subsequutâ, est *Aur. Bull. Caroli IV. cap. 6. ibiq; Buxtorff. th. 85. lit. H. sic c. 20. Aur. B.* Quanquam autem illi textus propriè loquantur de Electoribus, sed per leges allegatas supra, ad jus sessionis & suffragii in Comitiis vi extensionis rectè cæteris Principibus accommodabitur. *Bertram d. l. th. 40.*

44. Hic non indiscussum relinquendum: *An 18. annus, qui requiritur in Electore completus, sit justa ætas in Principe Electoribus inferiore, quoad sessionem in Electione & Comitiis imperii?* Affirm. cum quod jura quæ Electoribus sunt concessa in plurimis ad alios Principes extendantur: tùm quòd sic observetur. *Diss. And. Gerhard. ad c. 7. A. B. Caroli IV. thes. 70. cum seqq.*

45. Hisce

45. Hisce nunc præmissis, progredimur meritò ad causas, quibus quod in alijs breviter descriptum, plenius deducitur. Nam ut sine causis nihil fit: ita sine ijs nihil commodè & perfectè cognoscitur.

46. Principum a. causam efficienté seu fundamentum inchoandæ atq; continuandæ dignitatis Regiæ conjunctim spectās, est vel remotū sive primū, vel ꝑpinquū sive secundū.

47. Primum est Deus, à quo & subjecta & cætera fundamenta pendent atque diriguntur. *Per me enim reges regnant & Principes recta decernunt. Prov. 8. v. 15. Inquit Salomon. Et Imperator Justinianus Nov. 28. c. 4. Hanc nos gratiam Deo referendam putamus, qui Imperii Coronam nobis imposuit.* Idipsum etiam profitentur hodiè in suis titulis quibus utuntur: Nos Dei Gratiā Wir von Gottes Gnaden *Althus. polit. c. 28. n. 21.* Et Imperium à Deo tanquam Domino suo se habere agnoscunt. *Althus. d. l.* Atque hanc inscriptionem ipsis usurpandam rectè assumunt Principes Imperii, quanquam superiorem recognoscant: non autem de jure proprio, sed ex privilegio. *Besold. class. 1. disp. polit. 2. th. 14.* de aliorum regnorum Principibus non item valet, prout refert exemplum. *Bodin. 1. de Republ. c. ult. n. 172.*

48. Ipsa quoq; natura dictitat, non modò omnes res à Deo pendere in suo esse & conservari, verùm etiam ab eodem habere & mutationem conditionis vilioris in meliorem, & perfectionem in statu, utique absurdum & impium fuerit, eum ab hoc opere excludere, nam:

— — *Sufficiens non est pater ipse creandis*
Principibus natis, adsit nisi gratia Jovæ.

Principatus ergò & communis potestas à Deo est, mediatè verò tribuitur, *aut jure hereditario, hoc est, successione,* quum jure quodam gentilitatis in liberos vel agnatos is honor derivatur, *aut Electione,* quùm jure sanguinis neglecto suffragiis populi vel eorum ad quos ea res spectat, defertur.

49. Propinquum ponimus Imperatorem Romanum, qui jus creandi habet in toto imperio. *l. 3. §. 2. C. ubi senat. vel Clariss.* in eo enim omnes dignitatum thesauri reconditi. *Borch. de feud. c. 4. n. 12.* & ab eo tanquam à fonte totius jurisdictionis. *Först. de success. lib. 6. c. 33. n. 28.* profluere ceteri

 sem-

ſentur, *Schönborn. 5. polit. 15. Heig. p. 1. q. 9. n. 18.* licet vacante Imperio Elector Palatinus inveſtire poßit de feudo Imperii. Tamen inveſtitura de Principum feudis, Der Fürſten Fahnlehen/ novo Imperatori & Regi Romanorum reſervatur. *Aur. Bull. Car. IV. tit.* Von Rechten der Pfaltzgraffen.

50. *An etiam hoc alius Rex efficere poſit in ſuo regno dubitatur?* Affirm. Quia ſuperiorem non recognoſcentes, reſervata Imperatori, in ſignum ſingularis præeminentiæ, ut legitimare, famæ reſtituere, creare Duces &c. exercere poſſunt: qui tamen Duces, &c. ab illis creati in regnis ſuis duntaxat pro talibus habentur, non extra illud *M. Stephan. 2. de jurisd. p. 1. c. 1. n. 18.*

51. Ut autem creandi jus penes Imperatorem eſt; ſic etiam penes ipſum gradu illos removendi: juxta illud; *ad quem pertinet inſtitutio, ad eundem & deſtitutio, Nov. 15. c. 1.* quod tamen cum conſilio ſtatuum fieri conſultius eſt, *inquit Stephan. d. l. p. 1. m. 1. n. 85.* quippe, quod ea res ſit ardua.

52. Si materiam, dicendum erit, quod ſit perſona prædita virtutibus, cui ex ſingulari beneficio ab Imperatoria Majeſtate hoc privilegium conceſſum eſt. Quæ perſona hanc dignitatem inchoatam ad poſteros transmittit. Quanquam autem plurimi illam ab hac dignitate excluſam habere velint, aſtruentes, illam quidem eſſe principium, ſed non verè Principem, quemadmodum unitas non eſt numerus, ſed principium numeri: Attamen ſciendum, non eandem eſſe rationem unitatis ad numerum, quæ autoris generis vel familiæ ad poſteros: ſiquidem unitatum confluxu numerus oritur: Principalis autem dignitas in poſteris non ob ſolam generationem ſeu nativitatem, ſed ob ſpem & convenientiam in virtute cum ipſo auctore oritur.

53. Hic convenit agere de primogenitis Principum, cum ſingulari quâdam præeminentia in Principatibus patri ſuccedant: per illud autem non excluduntur ſecundo vel tertiogeniti, ſed æquo natalium ſplendore gaudent. Quæritur ergò: *An natus adhuc patre privato, poſtea Principe facto ſuccedat in regno ut primogenitus?* Affirm. *per l. 5. ff. de ſenat. l. 61. C. de decurion. Conſultiß. D. Val. Guil. Förſter. p. 1. diſp. 2. theſ. 7.* niſi expreſſim conſtitutionibus ſanciatur, primogenitum

nitum Regi in dignitate constituto natum succedere debere. Nam si quis Princeps decederet, relicto uno filio qui natus esset ante patrum Principatum: tunc non succederet, quod est absurdum. Vel præterrentur, secundogeniti scilicet in ipso Principatus regimine nati; tunc excluderentur proximiores in gradu, & sic statueretur contra jura. *Tiraquell. de jure primog. c. 31. n. 14.* Exemplum suppeditat nobis *Albertus Crantzius in Saxon. lib. 3. c. 11.* De Henrico, cui Mathildis ante Regnum peperit Ottonem, post Regiam verò adeptam dignitatem Henricum, quem Otto jure primogenituræ in Regno præcessit. In hodiernis Principibus jus primogenituræ multum valere; videmus in Electoratu Saxoniæ, ubi Christianus II. pientissimæ memoriæ A. C. 1583. (regnante adhuc Augusto avo Electore) natus, quo tempore Christiani II. inclutus Parens Christianus I. felicissimæ memoriæ, nondum Electorali dignitate fulgebat. Postea A. C. 1585. Patre Christiano I. Johannes Georgius natus. Attamen Patri rectè ob jus primogenituræ Christianus II. in Electoratu successit, quo deinceps sine heredibus mortuo, ad Electoratum admissus est Serenissimus Princeps Johannes Georgius, qui hodiè felicissimè rerum potitur, cui pacatum regimen, diuturnam vitam, incolumitatem ac felicitatem perpetuam vovemus.

54. Si primogenitus autem non est idoneus moderando Principatui, potest pater illi secundogenitum anteponere *Tiraq. d. l. c. 21. n. 11.* Alias non potest illum privare jure primogenituræ, nisi subsit causa, ex qua posset exheredari *quæ habentur Nov. 115. c. 3.*

55. Filios naturales legitimos quando Principes non habent, tunc utique ad illos quos adoptarunt Principatus devolvitur. Etenim illi ipsi extra dubium ullum fiunt tales, ut sunt qui adoptant: adoptio enim imitatur naturam, *§. minorem. Instit. de adopt.* Et adoptione dignitas non minuitur sed augetur. *l. 35. ff. de adopt.* Succeduntque adoptati unà cum cæteris filiis naturalibus & legitimis, *l. 5. c. de suis & legit. lib.* Nec solùm in rebus privatis, sed & in regnis & cæteris regalibus dignitatibus. *Tiraquell. d. l. quæst. 84. n. 3.* Sic Julius Cæsar Augustum, Augustus Tiberium, hic

viciſſim Caligulam, Claudius Neronem adoptavit, *Bodin. l. de repub. c 4. n. 29.*

56. De nothis occurrit dubium paulò obſcurius, *An illi gaudeant privilegiis Principum?* Relicto aliorum magnæ autoritatis virorum judicio, negantium partibus ſubſcribimus. Quia generis ſui non agnoſcunt autorem, ſed ab iis primùm familiæ & gentis ſuæ excitatur origo. *l. 9. ff. ad municip.* Eorumq; [illegible] nulla eſt ſucceſſio in bonis paternis, quia patrem habere non intelliguntur *Ampliſs. D. Arumaus Exercit. 11. 9. 9.* Quo circa nec gentilitiis inſignibus & privilegiis, quæ agnationi & familiæ ſunt annexa, poſſunt gaudere. *l. 6. ff. de ſuis & legit.* Sic olim Friderico II. Imp. in publicis Comitiis Merſeburgi celebratis, ab Imperii Proceribus impoſitum fuit, fidem natalium ſuorum, prolatis ſufficientibus ad hoc documentis, vindicare *Spangenb. Chron. Saxon. pag. 247.*

57. Ne autem aliorum præſtantiſſimorum Heroum ſuperioris ævi dignitatem ac nobilitatem in dubium vocemus: Statuimus hoc de hodierno jure non valere; quia eſt res mali exempli, ſi perſona illuſtris, tali vitio polluet, aliis tàm quà avitum aviti generis ſplendorem celſiſſimis, quàm quà virtutis gloriam eminentiſſimis præferretur. Et ſi illi arcentur ab Aſſeſſoris in Camerâ Imperiali officio; Nec Principum Conſiliarii eſſe poſſunt; nec Doctoris titulo inſigniri. *Myńſing. 4. obſ. 31.* multò magis hi ab ejusmodi dignitatum culmine [qui toti ſcilicet regioni præeſſe debent] abſtinere jubentur: *Imperantem enim ab omni labe decet eſſe alienum.* Quamvis quidam inſtent, quòd nemo alterius odio prægravari debeat. *l. 47. ff. d. R. J.* Nihil tamen nobis obſtat: Nam ſpurii dùm à Magiſtratus ſummi regimine arcentur, alterius odio minimè prægravantur, nec puniuntur, vel ullam patiuntur injuriam: quia jure illo, quod ad regimen principatus neceſſariò pertinet, deſtituuntur.

58. Cauſa formalis eſt ipſa ab inferioris conditionis ſtatu exemtio, & ad ſuperiorem delatio, quæ fit ab eo, qui jus hoc habet Imperatore ſcilicet Romano.

59. De-

59. Debet autem exemtio illa expressè & evidenti aliquo actu, vel collatione diplomatum, vel lege *l. 3. §. 2. C. ubi senator vel clar.* fieri. Nec sufficit, si quem in literis vel quovis alio modo talem appellet: quia nec solà nominatione probatur quis esse filius nominantis, *§ fin. Inst. de adopt.* Et denominatio veritatem non immutat. *l. 8. ff. de castr. pec. l. 6. ff. ad manicip.*

60. Finem ob quem constituti sunt Principes, si consideramus: dicendum, quòd constituantur in partem solicitudinis Cæsareæ Majestatis, ijsque ea, quæ sunt gravioris momenti in Imperii Comitijs deliberanda reserventur. *M. Steph. 2. de jurisd. p. 1. c. 5. num. 13.* Et quòd mereantur nomen, quòd sint status Imperii, ijsque ea omnia competant, quorum in sequentibus fiet mentio.

61. Competit ergò iis jurisdictio in suis territoriis perpetuò concessa, quæ specialior, certisque limitibus inclusa. Et communiter dicitur jus superioritatis Die Landsfürstliche Obrigkeit. Debet autem illa jurisdictio probari, quia est res facti, & probari convenit *l. 12. § 2. ff. de capt. & postl.*

62. Probatur autem quadrupliciter. I. *Per investituram* de Principatu, cui adhæret, quæ præbet titulum & causam possidendi & præscribendi. *Matth. Steph. d. l. c. 7. n. 124.* Eo enim ipso, quo quis de Ducatu, &c. investitus est, jura quoq; ejusmodi Ducatus adipiscitur, cum Ducatus possessoris personam nobilitare dicantur. *Tiraquell. de nobilit. cap. 7.*

63. II. *Per præscriptionem & consuetudinem*, quæ loco investituræ est, quòd usu & possessionis vel quasi exercitio est roborata, *Steph. d. l. n. 139.* Præscriptionem autem requirimus, si quis ultra hominum memoriam regalem dignitatem in suo territorio usurpaverit. *arg.* §. Wenn auch ein ausgezogener R. A. Anno 1548.

64. III. *Per spontaneam subjectionem. Stephan. d. l. n. 170.* quæ fit, quando aliquis, qui nemini subjectus est, sese submittit & obstringit alterius potestati, & spontè cum suis omnibus superiorem recognoscit: si autem fit in præju-

alicium alterius, nihil omninò operatur. Hisce prædictis modis, nisi accedat Imperatoris ordinatio, saltem pura penes ipsos manet potestas & jurisdictio: In Comitiis autem & Imperatoris electione effectum nullum sortiuntur.

65. IV. *In numerum statuum cooptatione Stephan. d. l. n. 186.* Si enim civitates Imperiales, immediatè Imperatorem recognoscentes in suis territoriis jura & vicem Principis obtinent. *l. 3. §. 4. ff. quod vi aut clam. Gail. 2. obs. 57. n. 7.* multò magis hoc habent Principes, qui positi sunt in majori dignitate quàm illæ.

66. Vigore ergò hujus supradictæ perpetuæ jurisdictionis concessione, exercere possunt in concesso territorio jurisdictionem, prout Imperator in toto Romano Imperio: Exinde nõ ꝙ Imperatori æquales efficiantur, sed relatione habitâ ad subditos suæ provinciæ, in quos eandem vel similem jurisdictionem exercent, qualem Imperator in universos. Et sic ratione universalis jurisdictionis Imperator nihilominus, tanquam supremus Princeps Imperii ubiq; jurisdictionem fundatam habet.

67. Verùm illa jurisdictio non extendenda est ad alienationem rerum subditorum. Sunt enim subditis loco Parentum. *Nov. 98. c. 2. in fin.* Ut igitur bona adventitia Pater alienare prohibetur, licet iis uti possit, *l. 1. C. de bon. matern.* ita & Princeps. Alienatores ergò, sunt tanquam impii vitrici, qui impuberibus suis liberis bona consumunt & debacchantur.

68. Sciendum tamen, quod bona Principis duplicis sint considerationis. Alia namq; possidet ut privatus, nullo adhibito respectu dignitatis, quæ dicuntur patrimonialia, & hæc alienare potest: alia habet cum dignitate seu potestate, quæ dici solent fiscalia seu dominialia. *Heig. part. 1. quæst. 19. num. 6.* hæc in antiquâ observantiâ conservare tenetur. Alienatione autem in his factâ, fidem datam fallit, sub cujus conditione ad regnum admissus est, ut bono & utilitati Reipubl. consuleret, bonaq; gereret, non ut alienaret. *Heig. d. l. n. 2.* potest tamen alienatio illa prævià necessitate & utilitate publicâ cum populi consensu fieri.

Heig.

Neig. d. l. exemplò patris, cujus lòco Principes & Magistratus sunt. *Nov. 8. c. 8.* qui ex causa necessitatis filium distrahere poterit. Sed alienationem voluptuariam vitet, quocunq; modo possit: nam eo ipso subditos sibi comparabit ad obœdiendum promptiores & alacriores: tum etiam Rempubl. retinebit firmam, tectamque: Et cogitet *cum Salomone, Prov. 14. In multitudine populi Regis dignitas, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Faciens verò est propriæ dignitatis prodigus.

69. Ex eadem Jurisdictione in territoriis suis intentione fundatâ nituntur, ita ut omnia ibi sita, non tantùm personæ singulares, verùm & collegia, corpora, civitates & universitates. *Paurmeist. 2. de jurisd. c. 9. n. 66.* eorum jurisdictione quasi continean tur. *Paurmeist. d. l. n. 18.* Ergò de quocunq; negotio seu causa civili & pecuniariâ, seu criminali, reali & personali, petitoriâ & possessoriâ jura dicere possunt. *Paurmeist. d. l. n. 23.*

70. Vindicant quoq; ejusdem superioritatis jure Regalia, quæ dignitatibus Regalibus, puta Principatibus inesse censentur. *c. 1. in pr. 1. Feud. de feudo Marchiæ &c.* non solùm autem ea, quæ enumerantur. *in c. un. quæ sint Regalia.* Verùm etiam illa, quæ usu recepto pro regalibus habentur, ut sunt jurisdictionalia, merum & mixtum imperium. *Vult. de feud. c. 5. n. 7.* Die Ober/ Peinlich/ Halsgerichte/ Blutbahn/ wenn die Klage an Hals vnd Haar gehet. *Ampliß. D. Petrus Theodoricus p. t. Decanus spectabilis, Præceptor honorandus, Coll. criminal. disp. 10. th. 5. lit. A.*

71. Præterea possunt subditos collectare. *Vultej. d. l. Tiraquell. de jure primog. q. 69. n. 7.* R. A. de Anno 1544. §. Vnd dieweil nun/ quæ sunt vera symbola ac notæ superioritatis seu sublimis eminentiæ. *Sixtin. 2. de Regal. c. 4. n. 21.* Exigenda autem est collecta à subditis secundum proportionem Geometricam, pro copia aut angustiâ bonorum cujusque: cum tondendæ non deglubendæ sint oves. Pro maritandâ autem filia nequeunt: quia ibi destituimus expreßis legum verbis. Et quod quibusdam in locis de consuetudine. *Tiraq. d. l. n. 1.* ita est receptum, nô ad scripti juris neceßitudinem est

accom-

accommodandum. *Heig. p. 1. q. 18. n. 16.* Diß *Mynsing. 5. obs. 21. Schönb. 5. polit. 25.*

72. Illos ipsos autem Principes, contributiones Turcicas sustinere oportet: nemo exceptus, etiamsi privilegiatus. Nam Imperator immunitatem, ab his collectis, petenti concedere non posse convenit; quia præjudicat universo imperio, in cujus præjudicium privilegia concedenda non sunt, *Vasq. 1. controv. 1. n. 7.* R. A. *Anno 1495.* zu Wormbs/ *verbis*, daß wir Frieden. *ibid. §.* Fürsten vnnd Herrn. R. A. zu Speyer/ *Anno 1544. §.* Vnd wiewol *§. seq. ibi*: Niemand außgenommen.

73. Insuper indulgendi delicta, remittendiq; pœnas capitales, jus penes ipsos est, *l. 4. l. 9. §. 11. l. 27. ff. de pœnis.* sed non facilè remittenda est pœna reo, ne laxior peccandi licentia inducatur. *l. 14. C. de pœnis.* Mansuetudo & clementia convenit quidem Principibus, sed ita ut severitas quoque adhibeatur; Cùm facinorum ipsorum causâ, quia feliciores sunt improbi luentes supplicia, quàm si nulli justitiæ pœnæ subjugentur: Tùm boni publici causâ, quia vitia magis magisque crescunt, & sic in proximum quemque transiliunt.

74. Item concedendi salvum conductum sive salvam guardiam, Schutz/ Schirm/ sicher Geleit von vnd zum rechten bannitis *l. 31. §. 1. l. 4. ff. de pœnis.* Ut & iis, qui per ditiones suas peregrinantur. Quinimò inducias moratorias, vulgò Anstandsbrieff oder Quinquernel debitoribus, qui fortuitis casibus facultatibus suis lapsi sunt, dandi. *l. 2. l. 4. C. de prec. imp. off. l. 45. §. 10. ff. de jure fisci.* R. A. zu Augspurg/ Anno 1548. Von verderbenen Kauffleuten. vers. Vnnd nach dem sie. Et eatenus procedit, si à creditoribus fidejussio petita sit. *Gail. 2. obs. 46. n. 14.* Item in bonis spuriorum ut & sine hærede morientium succedendi, huic universal juri annexum putatur. *l. 1. C. de bon. vacant. l. 96. §. 1. ff. de legat. 1.*

75. Sic famæ restituendi de reservatis Principis est, R. A. zu Speyer Anno 1526. §. Vnd wiewol *l. 10. C. de sentent. paß. §. 1. Inst. q. m. jus pat. pot. l. 1. §. 10. ff. de postul.* Ut & nobilitandi, *Fritze de nobil. concl. 7. ubi dissentientes videre licet.*

76. De

76. De Judæis recipiendis nulli permissum est, nisi qui regalia à Cæsare & Imperio, aut speciali privilegio hoc jus quæsitum habet. R. A. Anno 1548. §. Von Jüden und ihrem Wucher. *Schonborn. 5. polit. 26. Amplis. D. Arumæus disc. ad A. B. Car. IV. quinto. th. 6. in pr.* cùm ipsi ut privati, nec Regem, nec ullam dignitatem habent. *l. ult. C. de Judæis.*

77. Sic in suis territoriis condendæ legis potestatem habent, quia jurisdictio omnimoda ipsis concessa, cujus sequela condendarum legum potestas. *Gail. 2. obs. 127. num. 8.* sed parcè ferendæ, siquidem quo plures sunt leges, eò major litium cumulus est futurus. Debent autem incolumitatem civium non proprium commodum respicere: nam populo sunt leges accommodandæ non autem populus legibus: sed ita ut sit monendus non sequendus. *Bonif. Vitalin. de malef. lib. 1 c. 1. n. 13.* Si autem contra legem Dei aliquid imperaverint, subditos istis constringi non posse dicimus: quia Deo magis obediendum quàm hominibus. *Actor. 5. v. 29.* non autem vi & armis eis resistendum, sed supplicare fas est. *Amplis. Dn. D. Petr. Theodoricus d. l. disput. 11. thes. 4. lit.* C *quæst. un.*

78 Si autem Princeps absolutâ potestate uti velit, illius potentia loris & frenis quibusdam à populo constringi debet, & Respubl. quovis modo constitui & mutari, quo successor ad ea servanda se obstringat: nisi pacta sint juribus antecessorum suorum derogatoria.

79. De Ecclesiasticis rebus Principi seculari ferre leges. *Petrus Andreas Canonherius disc. ad C. Tacit.* non licere dicit; quòd non habeat in Ecclesia autoritatem imperandi, sed necessitatem obsequendi. A quâ sententiâ secessum facimus ex hac ratione: quod absq; ullâ distinctione, plenâ jurisdictione in territoriis suis, quâ Imperator in universo Imperio utantur. Imperatorẽ autem in Ecclesiasticis rebus plenam potestatem habere, extra dubitationis aleam positum est. At argumentum à potestate Principis superioris in universum, ad inferiorem in particulari, valet *Gail. de P. P. c. 6. num. 10.* Subditos tamen pacificè viventes ad hanc vel illam religionem amplectendam cogere nequeunt. *Schönb. 5. pol.*

28. Incivile enim est invitum hominem jubere facere, quod facere non potest. *l. 9. §. 10. ff. de pœnis.*

80. Pari ratione jurisdictionem Forestalem Förstliche Obrigkeit/tàm Forstrecht/quàm Wildbahn sibi vindicant. Consistit autem in *Jure Foresti*, cujus proprium est, saltuarios constituere Forstmeister vnd Forstknechte/ ne arbores exscindantur, & *banno ferino*, quod nobis Wildbahn à ferâ Wild denominato. Nam qui Wildbahn habere dicitur, ius utiq; venandi in sylvis & in agris habet separatis. *Diss. Gail. 2. obs. 68. n. 7.*

81. Varios autem sortiuntur effectus seu privilegia. Quod, eorum facta majori solennitate & pompâ pertractentur. Quod alimenta iis largius præstanda, *l. 1. §. 19. ff. de ventre in poss. mitt.* Sic privilegium de non appellando omnibus Saxoniæ Ducibus, unà cum reliquis Saxoniæ Electoribus indultum est. *Sixtin. 1 de regal. c. 5. n. 15. Arum. ad Aur. B. Discurs. 5. cap. 11. thes. 11. & 15.* ut & Austriæ Archiducibus.

82. Quod ipsis injuria illata gravius puniatur, quàm quæ facta plebeio, *§. atrox, 9. I. de injuriis. l. 16. §. 3. ff. de pœn.* hinc dicimus, quod crimine læsæ Majestatis se polluat, qui Principem, qui Elector non est, & tamen præter Cæsarem nullum superiorem recognoscit, *Mejer. Colleg. Argent. ad L. Jul. Majestatis. thes. 6.* occidit, aut vitæ ejus insidias struxit. nec sexus discrimen habendum, cùm mulieres etiam hoc crimen incurrant. *l. 3. ff. de bon. damnat.* nec Ordinis ratio Clericatus scilicet, *Gothofr. ad l. 5. C. h. t. c. perpendimus. 23. q. 5. de sent. excomm. Rom. 13. Consultiss. Dn. D. Petrus Theodor. d. l. disp. 5. thes. 5. lit. A.* Hi enim sunt Magistratus populi Romani, siquidem sunt loco Proconsulum & Præsidum provinciarum. Tales autem occidens istiusmodi crimen incurrit *per l. 1. §. 1. ff. h. l. 3. C. de Episc. audient. Bocer. de crim. læsæ Majest. c. 2. n. 91. & 92. Bonif. Vitalin. de malef. 2. c. 2. n. 1.* Et cum hi ejus imperii sint membra, cujus caput est Imperator, omninò etiam erunt partes corporis Imperatoris, & proinde in iis *l. 5. C. h.* locum inveniet, quæ loquitur de Senatoribus. Atqui Principes sunt hi, ut qui in Comitiis Imperii de commodo Imperii cum Imperatore consultant, *Bocer. d. l. n. 93. Diss. Wesemb. paratit. eod. n. 4.*

82. In

83. In Principem verò Tyrannum, qui obstinatè violatâ fide, & religione jurisjurandi vincula & fundamenta consociati Reipubl. corporis dissolvit *Althus. polit. c. 38. n. 4.* Cultum Dei abolet vel profanat, & quæ Dei sunt affectans, sibi vindicat & usurpat. *Hænon. disp. pol. 9. th. 35.* cumque Caligulâ putans omnia ipsi in omnes licere. *Sueton. in vita ejus c. 29.* læsos à privatis deridet & pœnam sumere intermittit, unde Pausanias Philippum Macædoniæ Regem Interfecit: cum filiabus, sororibus & uxoribus subditorum se commaculat, quam ob causam Oddo Antonius Urbinatium Dux interemptus est: crimen læsæ Majestatis non committitur. *Mejer. d. l. thes. 6* Tyrannus enim non habet potestatem aut Imperium, sed latrocinium. *Rever. ac Clariss. D. Johan. Gerhard disc. 10. quæst. pol. Et quod tygris, basiliscus, aspis ac cætera deterrima feræ, serpentesq; lethiferæ humano corpori, hoc tyrannus in regno: obruit, quatit, convellit, disperdit omnia, aut quod minimum, susq; deq; fert, quid civibus fiat, dum cupiditati voluptatiq; inserviat suæ. Johan. à Chokier, Thesaur. pol. aphoris. lib. 6. c. 12.*

84. Hinc quæritur: *An Tyrannicidæ sint excusandi?* Dicimus Tyrannus absq; titulo è medio tolli potest. Postmodò distinguimus, si regnum legitimâ successione ipsi attributum esse, palàm est: tunc recognoscit superiorem aut non. Si recognoscit, potest conveniri coram Superioribus, ut sunt Imperator, Camera Imperialis & cæteri Status Imperii, qui Dyonisios expellere, Nerones plectere, Wenceslaos Augustalibus infulis exuere possunt. *Zach. Victor de caus. exemt. imp. concl. 14.* & ita mediis ordinariis ipsis resisti. Sin autem non, tunc interemtori nullam tyrannicidii excusationem attribuimus: nullo enim casu eis obsistere licet. *Ampliss. D. Petr. Theod. d. l. th. 4.*

85. Ipsi autem Principes si adversus Imperatorem graviter deliquerint, banni pœnam incurrunt. *Mynsinger. 1. obs. 91. Sixtin. 1. de regal. c. 6. n. 60.* Ecclesiastici privantur bonis feudalibus, privilegiis & regalibus, quæ ab Imperatore habent, & quorum nomine Principes Imperii vocantur, forumq; Cæsaris sortiuntur. *Gail. lib. 1. de P. P. c. 8. n. 8.*

86. Porrò quoad immunitates à tormentis liberi sunt. *Bocer. de quæst. & tort. c. 40. n. 30. & 41. l. 11. C. de quæst. Consultiß. D. Theod. d. l. disp. 9. th. 10. lit. A.*

87. Præterea Antecessoris sui leges merè civiles & positivas respicientes utilitatem privatam observare non tenentur. Nemo n. sibi ipsi legem ferre potest: Et neq; Successori, qui eandem potestatem consequitur: nec par in parem sibi superioritatem arripere potest. Leges autem Imperii publicam concernentes utilitatem omninò servare tenetur, quia jurisjurandi religione ad earum observantiam obstrictus est, hisq; regni fundamenta innituntur.

88. Contractus quod attinet, Princeps aut succedit jure hereditario, & tunc antecessoris sui contractus servare tenetur, si sc. contractus sit tolerabilis & non vergat in diminutionem regni. Aut succedit pactis gentilitiis vel sanguinis jure, tunc non obligatur. *l. 22. §. 1. ff. de adopt.* qui n. causam non habet ab antecessore, nec ejus nomine gravari debet, *l. ab eo. C. de fideic.* nisi I. ad utilitatem dignitatemvé, quæ non moritur. *Nov 81. c. 2.* nec minui sed augeri debet. *l. 19. ff. de off. præf.* regni sit contractus initus. II. vel de re minimâ, quæ non curat prætor. *l. 4. ff. de in integ. rest.* III. vel ratione officii, quod nemini debet esse damnosum, *l. sed etsi. ff. test. quemadm. ager.* Diß. *M. Steph. 2. de juris. p. 1. c. 1. m. 1. n. 73.*

89. Propria a. pacta seu contractus sive cum subdito, sive non subdito, sive cum privato, sive cum universitate à se celebratos servare & efficaciter implere debet. *Steph d. l. n. 68.* nisi quod ad solemnia illor. non teneatur. Grave siquidē est fidem fallere. *l. 1. ff. de const. pac.* tùm inprimis Principi viro, cujus vox oraculi instar esse debet *Et nihil est, inquit Lausius diß. de L. Regia. th. 93. quod magis dignitatem Principis comminuát, nihil quod Reipub. eversionem magis acceleret, quàm violata fides & promissorum contemta religio.*

90. Plura hac vice addere supersedebimus; cùm privilegia & immunitates illor. hinc inde apud probatiß. autores prolixius videre cuilibet contingit. Finem ig. huic discursui de Principibus Politicis imponemus, aliis uberiorem & ulteriorem, & meditandi, & scribendi tractandiq; occasionem relinquentes.

DISS. VI.